

[DECRETUM ELECTIONIS SIGISMUNDI PRIMI REGIS POLONIAE]^a

[A]ndreas^b Gneznensis et primas et Bernhardus Leopoliensis, Dei gratia archiepiscopi, Ioannes Cracoviensis, Vincentius Wladislaviensis, Ioannes Poznaniensis, Erasmus Plocensis et Mathias Premisliensis regnique Poloniae vicecancellarius, eadem gratia episcopi, Spithko de Jarosław castellanus, Ioannes de Tarnow palatinus Cracoviensis, Andreas de Schamotuli Poznaniensis, Nicolaus Gardzina de Ludbrancz Calissiensis, Ambrosius de Pampow Siradiensis, Iaroslau de Lassko Lanciencis, Nicolaus de Cretkow Iuniwladislaviensis, Ioannes Amor de Tarnow Russiae, Nicolaus de Curozwanki Lublinensis, Stanislaus Kmita de Visnicze Belzensis, Prandota de Tarczyana^c Ravensis palatini, Dobrogostius de Ostrorog Poznaniensis, Ioannes Jarunth de Brudzew Calissiensis, Ioannes de Przeramb Siradiensis, Ianussius Latański Gneznensis, Bernhardus de Ludbrancz Brestensis, Petrus Schafranyecz de Pyschokoua Skala Visliciensis, Stanislaus de Potulice Myedzirzecensis, Ihieronimus de Cobilino Rosperiensis, Stanislaus de Coszycelec Iunivladislaviensis, Ioannes Jordan de Zakliczyn Byecensis et capitaneus Scepusiensis, Lucas de Gorka Spiczimieriensis, Petrus Górski Naklensis, Nicolaus Misopad Czechoviensis, Andreas de Oporow Crusficiensis, ...^d Camblan Crziviensis, Albertus Soboczki Byehoviensis castellani, Stanislaus de Chodecz marsalcus regni ac Leopoliensis et Camenecensis capitaneus, Ioannes de Lassko praepositus Poznaniensis ac eiusdem regni cancellarius, Stanislaus Jaroczki marsalcus regius, ceterique praelati, consilarii et barones ac nobiles regni eiusdem, universum regnum Poloniae repraesentantes.

In nomine sanctae individuaeque Trinitatis. Ad universorum, quorum interest intereritque in futurum, notitiam deducimus, quod Serenissimo olim principe domino Alexandro Dei gratia rege Poloniae, magno duce Lithuaniae, Russiae Prussiaeque domino et haerede etc. gratiosissimo, anno praesenti et feria quarta post festum Assumptionis Virginis gloriosissimae Mariae, quae erat Augusti dies decima nona [19 VIII 1506], in civitate et castro inferiori Vilnensi de medio sublato, eiusque olim funere regio sabbati die ante festum sancti Lucae, quae erat decima septima Octobris [17 X 1506], in basilica divi Polonorum patroni praesulis Stanislai in castro praedicto Vilnensi honorificentissime sepulto existente, caeremoniis ad hoc dignissimis funeralibus, prout tantae expediebat Maiestati, non minus reverenter, quam etiam devote ac lugubriter adhibitis; tandem sepultura peracta, fuit successive per nos universos electioni futuri regis ac domini nostri dies et locus huc Pyotrkoviam pro festo sancti Andreae proxime praeterito [30 XI 1506] ad praesentem conventionem generalem deputatus, decretus et assignatus decreto communi mediante ac dominorum praelatorum et baronum regni accedente consensu; fuereque universi principes et praelati spirituales et saeculares, barones, nobilitas^e, milites et communitates terrarum ac civitatum, de iure ac consuetudine ad electionem regiam pertinentes, edictis proclamationum publicis ac litteris et nuntiis, eam ipsam electionem futuram intimantibus denuntiantibusque, vocati et avisati, ut nobiscum una pro eligendo futuro rege ac domino aut convenirent, aut nuntios cum mandatis dirigerent ad praesentem electionem conventionemque Pyotrkoviensem pro die praedicta in praesentem usque per continuationem prorogata; qua die hodierna, dum cum universis principibus ac praelatis spiritualibus et saecularibus, militibus, nobilibus communitatibusque terrarum et civitatum comparentibus et praesentibus absentiumque nuntiis iniremus consilia, tractatus et deliberationes pro eligendo Serenissimo domino nostro rege futuro proque aliis necessitatibus ac eventibus publicis in melius ordinandis; tandem nobis Andrea Dei gratia veluti archiepiscopo Gneznensi et regni primate et consilii ordinem ac electionis processum proponentibus, vocatorum non comparentium absentia non obstante, per nos et universos praelatos spirituales et saeculares, barones et consiliarios, nostro et absen-

^a *W B. Czart. na odwrocie napis ręką z XVI w.: Electionis liberę Sigismundi ad regem Poloniae per consiliarios regni ac ducum Masovię decretum.*

^b *Litery A brakuje w B. Czart.; widocznie miała być dodatkowo, po wygotowaniu dyplomu, wykonana ozdobnie, co jednak nie nastąpiło. Dalsze litery NDREAS wersalikami.*

^c *Ticzyana B. Czart.*

^d *Pozostawiono wolne miejsce na 10-12 liter dla uzupełnienia brakującego imienia kasztelana krzywińskiego w B. Czart.*

^e *Nobilitates B. Czart.*

tium nomine ad electionis decretum in Dei nomine processum erat die et loco infrascriptis^f, qua missa de Spiritu sancto cantata et audita ac caerimoniis, consiliis, tractatibus, deliberationibus et conclusionibus de more atque iure praemissis, nos qui supra, praelati et barones universi, ad quos istud de iure electionis liberae et consuetudine regni eiusdem pertinet, una cum nuntiis et oratoribus praeclarorum principum, dominae Annae, Dei gratia genitricis et tutricis ac Stanislai et Ioannis puerorum, ducum Mazoviae, aliorumque praelatorum et baronum regni absentium nuntiis cum litteris et sufficientibus mandatis ad electionem praesentem missis, nomine suorum principalium comparentibus et electioni interessentibus, decretum electionis diximus, pronuntiavimus et promulgavimus, dicimusque, pronuntiamus et promulgamus sic, quia non ex affectione carnali personalique, nec ex debito successionis, sed inspirante Spiritus almi gratia, votis, voluntatibus, affectionibus desideriiisque unanimibus, nemineque ex nobis, cooperante^g Spiritus eiusdem sancti gratia, a votis et voluntatibus unanimibus discrepante, Serenissimum dominum Sigismundum Dei gratia regium natum, in regem Poloniae et magnum ducem Lithuaniae ac terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cuiaviae, Russiae, Prussiae, Samogittiae, Culmensis et Elbingensis dominum et haeredem etc. dominum nostrum gratiosissimum, sic ut ius liberae electionis nobis competiit et competere consuevit, elegimus et decrevimus eligimusque et decernimus praesentibus. Quam electionem, praesens quoque decretum nostrum, cum universis nobilibus ac terrarum et civitatum communitatibus nostro et eorum atque absentium nomine approbandum, tenendum, laudandum, confirmandum et emologandum duximus, aprobamusque, tenemus, confirmamus, laudamus et emologamus tenore praesentium mediante. Itaque decretum huiusmodi in virtute Altissimi exequi^h cupientes, de certa scientia communique consilio ac omnibus modo, iure et stilo dominos infrascriptos, videlicet reverendissimos in Christo patres, magnificos et venerabiles dominos Ioannem Cracoviensem, Vincentium Wladislaviensem, Mathiam Praemisliensem episcopos, Andream de Schamotuli Poznaniensem, Nicolaum Gardzina de Ludbrancz Calissiensem, Ambrosium de Pampow Siradiensem, Stanislaum Kmita de Visnicze Belzensem palatinos ...ⁱ et Ioannem de Lassko praepositum Poznaniensem, cancellarium regni Poloniae, fratres nostros, ad eundem Serenissimum dominum nostrum, dominum Sigismundum Dei gratia regem Poloniae et magnum ducem Lithuaniae electum ad infrascripta gestores, actores et nuntios deputavimus et deputamus, dantes eis facultatem plenariam praesens electionis decretum Suae Serenitati intimandum et notificandum aliaque omnia et singula, quae ad plenam et sufficientem electionis eiusdem intimationem pertinent, nostro nomine faciendi.

In testimonium itaque praesentium omnium et singulorum praemissorum sigilla nostra ac aliorum procerum et nobilium regni Poloniae praesentibus sunt appensa. Actum et datum Pyotrkoviae in conventionem electionis regiae generali feria tertia festi Conceptionis Virginis sanctissimae Mariae anno Domini millesimo quingentesimo sexto [2 XII 1506], praesentibus ad praemissaque consentientibus ac rata habentibus et ea emologantibus suo et aliorum praesentium et absentium, regnicolarum nominibus venerabilibus, generosis et nobilibus dominis Nicolao de Latalice Gneznensi, Lanciciensi, Cracoviensi praeposito, Ioanne Zaramba de Calinowa capitaneo Maioris Poloniae generali, Nicolao Firley de Dambrouicza vexillifero Cracoviensi et capitaneo Lublinensi, Victorino de Syenno, Ioanne et Andrea de Tanczin, Stanislao de Ostrorog, Stanislao, Ioanne et Spithkone de Tarnow, Nicolao et Ioanne de Pilcza, Nicolao Lanczkorunski de Brzezic, Nicolao Jordan de Zakliczin, Stanislao Lassoczki Poznaniensi, Petro de Lutomirsko Siradiensi, Derslao Vilczek Leopoliensi succamerariis, Petro Schpoth de Craiow, Stanislao Schaffranycz de Pyeskowaskala, Ioanne et Stanislao de Sprova capitaneo Opoczensi, Raphaele de Lesczno, Ianussio Swirczowski tenutario in Ropczice, Ioanne et Iacobo de Cobilani, Adam de Drzeuica, Nicolao Volski vexillifero Sochaczoviensi, Felice de Oporow, Stanislao de Goslub, Ioanne Milay de Jaroczin, Ioanne de Lesczno, Nicolao Lubomirski iudice castri Cracoviensis^j.

^f Infrascriptis *B. Czart.*

^g coperante *B. Czart.*

^h exqui *B. Czart.*

ⁱ Pozostawiono wolne miejsce na 45-50 liter w *B. Czart. O. Balzer w CIP (s. 13) próbował tę lukę uzupełnić, ale stwierdził, że brakuje jednak do tego podstawy źródłowej.*

^j Crauien[sis] *B. Czart.*